Si exprobramini in nomine Christi, beati.

Léctio Epístolæ primæ beáti Petri apóstoli 4, 13-16

Caríssimi:

13 Quemádmodum communicátis Christi passiónibus, gaudéte,
ut et in revelatióne glóriæ eius gaudeátis exsultántes.
14 Si exprobrámini in nómine Christi, beáti,
quóniam Spíritus glóriæ et Dei super vos requiéscit.
15 Nemo enim vestrum patiátur quasi homicída aut fur
aut maléficus aut alienórum speculátor;
16 si autem ut christiánus, non erubéscat,
gloríficet autem Deum in isto nómine.

Verbum Dómini.